

Bibliothèque numérique

medic@

**Asselin, Jean-Baptiste-Charles -
candidat / Adet, Pierre-Auguste -
président. - An à solo lymphae muco,
prae ipsius affinitate cum solidis
corporis viventis partibus, nutritio ?**

1787.

***Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Parisiensis
Typographi
Cote : ms 2337a n°140***

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO.

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis quartâ mensis

Januarii, anno Domini M. DCC. LXXXVII.

M. PETRO-AUGUSTO ADET, Doctore Medico, Præside.

An à solo lymphæ muco, præ ipsius affinitate cum solidis corporis viventis partibus, nutritio?


I.

CORPUS hominis ut cœterorum animalium solidis & fluidis conflatur, Horum mirabilis consensus mutuumque & perenne in se invicem officium. At ea est animalis œconomix natura & conditio, ut, dum solida humores appositè præparando & ad minutissimas corporis fibras adigendo, ex illis nutritionem, accretionem, vim & energiam depromunt, hoc ipso quo stat & fovetur œconomia, eodem rueret mechanismo, nisi fluidis novus adveniret humor quo illorum nimis immutata natura recuperaretur, refarcirentur jacturæ. Succus enim ex alimentis expressus per canales chylicos ad sanguinis oceanum defertur, ibi per vim cordis, arteriarum musculorumque actionem movetur, adigitur in varios circulos, & per repetitos hos circulationis motus subigitur, præparatur, & fit nutritionis proxima materies, quæ vocatur lympa.

Verùm ex ipso-met circulationis motu & actione minimæ partes à solidis abraduntur, abraas liquoribus miscentur, moventur & expelluntur; dum fluida attritu continuo immutata ad exhalantia vasa appellant, & ex corpore evanescunt. Hinc quibus nutritur iisdem legibus consumeretur corpus vivens, nisi novus humor appositè elaboratus tantum & tale solidis & fluidis restitueret, quantum & quale per circulationis actionem fuit deperditum. Hæc actio nutritionis nomine donata fuit, cujus materies ipsiusque assimilatio viribus digestivis, ut fiat lympa, veniunt perpendendæ.

I I.

MATERIES ad nutritionem idonea solum corpus mucosum; hujus ope nutriuntur, crescunt & generant tum vegetantia, tum animantia. In illis mucosum, in his gelatinosum corpus vocatur. Hæ duæ substantiæ, quæ elabo-



rationis tantum gradu inter se differunt, facultate nutritivâ solæ fuerunt donatæ. Hanc probat mucosæ aut gelatinosæ materie quantitas in iis, quæ ad individui propagationem aut nutritionem destinata sunt, partibus reperta. Sic in animalium ovis & femine: sic in omnibus vegetantium seminibus ita abundat, ut vel maceratione in aquâ, vel levi coctione haud parva quantitas extrahatur. Sic ex animantium carnibus eruitur gelatinosa materies eò magis ad assimilationem docilis, quò animalem naturam jam fuit adepta. Cœteræ substantiæ, quæ à mucoso aut gelatinoso corpore differunt, ad nutritionem prorsus sunt inhabiles; sic salia, olea, resinæ nullum præbent alimentum; sed potius, cum principiorum tenuitatem viribus digestivis insuperabilem obtineant, aut foras per alvi viam extruduntur, aut novam partibus inducunt dispositionem, & exindè purgantem, laxantem, cardiacam, aut aliam quamcumque virtutem exerunt. Sola igitur ad nutritionem idonea materies mucosum aut gelatinosum corpus, cujus, ut fiat lymphæ, requiritur digestionis & assimilationis opus. Verùm cum in omni alimentorum genere substantiæ hæ reperiantur; de alimentorum digestionem & assimilationem agendum.

I I I.

ALIMENTA intrâ dentes trita & in ventriculum delata, potu, salivâ, humore gastrico irrorantur, penetrantur; inde fit mollis & pulposa moles intra cujus partes, elapso quodam tempore, motus intestinus nascitur, quo solvitur illius alimentosæ molis tenacitas. Ventriculi, intestinorum, diaphragmatis musculorumque abdominalium actione per fistulam intestinale propelluntur, & premuntur alimenta; ex his exprimitur succus emulsiōi haud absimilis. Hujus fluidior tantum pars, famulantibus iisdem potentiis canales in intestinali fistulâ hiantes subit, & ad sanguinis oceanum deferretur. Succus hic parum à corpore mucoso diversus, quem circulationis actione, ut fiat materies nutrens, elaborari necessum est, chylus vocatur. Cum igitur chylus subclaviâ venam sinistram ingressus est, cum sanguine miscetur, movetur, & ad omnes corporis partes adigitur. Per vim cordis, arteriarum, respirationis musculorumque actionem dividitur, attenuatur; minimas in partes rediguntur ipsius molecule, plures intricatæ expediuntur, nova connubia ineunt inter se, ex quibus nova corpora nascuntur. Sic corpus mucosum fit gelatinosum, substantia fluidissima, albumini ovi simillima, limpha tandem. Hinc eveniret ut eadem substantia, potentiis iisdem agentibus, per vasa exhalantia sensim abriperetur, in sua principia resolveretur; partes solidæ per circulationis motum & actionem abrafæ, succussæ, collisæ semper quidquam de suâ substantiâ amitterent, paulatim colliquescerent, & liquoribus immixta per varia corporis emunctoria expellerentur, ut observatur in iis longâ diætâ fatigatis, aut febre hecticâ laborantibus; hinc periret corpus vivens, nisi novi lymphæ muci beneficio refarcirentur fluidorum & solidorum jacturæ.

I V.

LYMPHÆ muco nutriri solida constat ex ipsius naturâ, analogiâ cum solidis, & experienciâ.

1°. Lymphæ mucus concrefcit & indurefcit, cum igni lymphæ superponitur. Solus lymphæ mucus parit sanguinis extracti coagulum; cum enim segregatur, cœteræ partes à coagulo distinctæ non concrefcunt.

2°. Lymphæ mucus concretus solidarum partium colorem refert. Succus ex animantium partibus extractus formam gelatinosam suscipit & glutinum efficit

3

ut lymphæ. Succus hic, ut lymphæ mucus, albus est, inodorus, insipidus, multum ad putredinem vergens, eadem in distillatione producta suppeditans.

3°. Suppuratis ac deterfis vulneribus, cum proxima est conglutinatio, humor lymphaticus è labris vulneris undique depluit, quò vulnus coalescere quotidiana probat experientia. Præterea D. de Haller vidit vasa transversim secta coalescentia lymphæ muco, qui paulatim conscrefcens album fuscipiebat colorem. Verùm quomodo fiat applicatio lymphæ muci? Præ ipsius affinitate cum solidis corporis viventis partibus.

Affinitas est vis quâ corporum partes attrahuntur, accedunt ad se invicem & unitæ cohærent. Eò facilius suum sortitur effectum affinitas, quò magis homogeneæ sunt partes attrahendæ, quò minùs alieno motu agitantur. Lymphæ muci cum solidis analogia modò probata fuit, ergo affinitas, ex quâ nutritionem sic fieri patet.

Præparata, ut paragrapho præcedenti dictum fuit, lymphæ per circulationis actionem fertur ad omnes corporis partes. In cellulofum textum infunditur per meatus existentes in vasorum parietibus intrà corporis partes perreptantium. In cellulari textu lymphæ motus multò lentior est quam in vasis sanguineis; attamen sufficiens ut illius pars fluidior vel exhalantia vasa & varia corporis emunctoria cum partibus ad nutritionem inhabilibus avolet & abripiatur, vel per lymphatica vasa revehatur ad circulationis torrentem. Sic parte lymphæ residuâ inspissatâ, ipsius motu lentiori factò, suum sortitur effectum affinitas. Per hanc lymphæ mucus cellulosi textûs ubique existentis parietibus apponitur & adhæret. Per illatam muco pressionem à vicinarum partium resistentiâ & actione magis adhuc suo sero spoliatur mucus; magis partes ipsius sese attrahunt; & eò firmior fit, quò strictior partium textus; auctâ enim resistentiâ pressio major est, unde feri dissipatio major; succussio & motus minor, undè major affinitas. E contra quò laxior est partium textus, eò minor pressio, major succussio & motus, fluidior lymphæ mucus, minor affinitas. Hinc deducitur cur partes quæ à primo corporis rudimento erant molles, fiant cartilagineæ, osseæ; cur hæ à mollibus differant; cur molles ipsæ temporis diuturnitate durefcant.

V.

NE dicant nutritionem fieri ex applicatione muci lymphæ in vacuolo consumptione factò in vasorum interiori superficie; sequeretur enim minorem vim requiri ut ab interiori vasorum superficie partes abraderentur, quam ut eorundem parietibus applicarentur, quod repugnat. Partes enim inter se cohærentes arctius uniuntur & difficiliùs à se divellantur, quam eæ quæ cum vasorum parietibus connubium inire inciperent. Præterea cum sanguinis impetus sit sufficiens ad abradendas partes, à fortiori præpediet quominus novæ coeant.

Sed, inquiunt, si reparatio esset jacturæ proportionata, corpus in statu incrementi fenescere non deberet, quod ex frequentiori experientiâ falsum est. At lymphæ muci qualitates non sunt eadem in omnibus vitæ phasibus. Cum statum incrementi corpus adeptum est, tunc partes solidæ majorem opponunt resistentiam potentiae eas extendere nitenti, undè majus sanguinis momentum in vasorum parietes, undè eò major lymphæ muci solidis partibus applicati pressio; eò major feri illius dissipatio, quò magis à primo rudimento & ab incremento recedit corpus. Hinc muci firmitas, vasorum rigiditas, eorum debilior in sanguinem actio, plurimum sensim obliteratio, induratio, & tandem senectus. His suffragatur obser-

4

vatio; solida enim in embryone nulla, in foetu pauca, in senibus provectissimæ ætatis plurima sunt. In junioribus humorum copia & vis solida exuperant. In senibus solida vi & copiâ fluida exuperant. (*Boerrhaav. Inst. Med. pag. 145.*) Nunc nihil obstat quin concludatur.

Ergo à solo lymphæ muco, præ ipsius affinitate cum solidis corporis viventis partibus, nutritio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

Franciscus-Gaspardus DIDERON.

*M. Joannes-Augustinus COV-
TAVOZ, Chirurgiæ gallicæ
idiomate Professor.*

*M. Henricus Michaël Missa,
Regii Medicorum Collegii
Nanceianorum Socius hono-
rarius, antiquus Regis Exer-
citus in Germania Medicus
ordinarius, Censor Regius,
Academia Catalaunensis So-
cius.*

*M. Carolus-Jacobus-Ludovicus
COQUEREAU, Serenissimi
Condæi Principis Medicus
ordinarius, necnon Regis apud
Peditum cum gallicum tum
extraneum, Consiliarius Me-
dicus.*

*M. Joannes-Baptista-Eugenius
DUMANGIN.*

*M. Joannes-Nicolaus MILLIN
DE LA COURVEAULT.*

M. Franc.-Maria LE MOINE.

*M. LEVACHER DE LA FEU-
TRIE, antiquus Facultatis
Decanus, utriusque Phar-
maciæ Professor designatus.*

*M. Jacobus GOURLEZ DE LA
MOTTE.*

Proponebat Parisiis, JOANNES-BAPTISTA-CAROLUS ASSELIN,
Abrincensis, Doctor Medicus Cadomensis, necnon Saluberrimæ Facultatis
Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Autor. A. R. S. H. 1787.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Typographi.